



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

92. Fer. 2. Triplex reflectie circa Iudam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

Feria 2. Dom. 3. Quadrag. ISI

ut ait D. Chrysoft. ideoque desperaverit: Patientiam enim Domini ferre non potuit, qui majestatem prodidit, ait D. Ambr. D. Leo ser. 16. de Pâst. Dom. itaque abiit, pecuniâ refundit, laqueo se suspendit: *Tibi o Iuda, tua pœna commissâ est. Non poterat Iudas pejore manu perire.* Disquiram, quem sensum ego habeam de doctrina Christi, consilijs, & inspirationibus: & audiam D. Ang. ser. 1. de temp. *Mutet vitam qui vult accipere vitam: nam si non mutet vitam, ad iudicium accipiet vitam.* Spiritui Domini, me totum tradam gubernandû: quia ideo Iudas periit, quod se totum spiritui utendum non prebuerit, inquit D. Nazia. orat. 7.

MEDITATIO XCII.

Feria 2. Dom. 3. Quadrag.

Triples reflexio circa Iudam.

Videbo Iudam ea agentem, quæ in oratione de ipso scripta sunt, & acta. Petam tria: bene uti scientia, non nutare in Dei servitio, ferre amicorum persecutiones.

Conf. 1. Sciebat autem & Iudas, qui tradebat eum, locum: quia frequenter Iesus convenerat illuc Ioan. 18. Quomodo Iudas scientiâ instrumento pacis in mortem utitur? sciebat, & abutebatur. O repugnet scientia, quæ prodendo Christo servitura est! mecum sit ignorantia mea, si aliquando scientiâ etiam sacrâ

152 FERIA 2. DOM. 3. QUADRAGES.

abusurus sum : Hæc est origo omnis mali
Scientia sine virtute Diaboli tuasus est : ita Da-
mian. Ep. 105. in illud. *Eritis sicut dii scientes*
Qui vitiorum omnium catervas moliebatur in-
ducere, cupiditatem scientie quasi ducem exerci-
tus posuit, sicque postea infelici mundo cunctas
iniquitatum turmas invexit. Iulianus quò do-
ctior, eò pejor. Verè talibus dicitur: *Ves nesci-*
tis quidquam : Nihil noverant, qui Iesum igno-
rabant. ait Origenes in c. 11. Ioan. *Amate*
scientiam, sed anteponite Charitatem, addit D.
August. Serm. 13. de Verb. Dom.

Conf. 2. Et qui vocabatur Iudas unus de duo-
decim (numero, non merito) antecedebat eos
(ministros, cohortem, turbam multam cum
laternis, facibus, armis, fustibus, gladijs) &
appropinquavit Iesu, ut oscularetur eum. Im-
mane facinus, ex Apostolo factum prodito-
rem. Data semel sceleri licentia, quò non im-
pellit? mutatae menti tale factum congruit!
corruptio optimi pessima.

Conf. 3. Osculum Iudæ, & responsum
Christi, Matth. 26. Marc. 14. *Iesus autem dixit*
illi : Amice ad quid venisti ? ut illi : Amice,
quomodo huc intrasti ? Iuda, osculo Filium ho-
minis tradis ? hæc fuere ultima quinque Chri-
sti verba ad Iudam. Triplex est mortificatio,
1. Spontanea. 2. Ab inimicis. 3. Omnium
gravissima ab amicis pati dolos : hæc ciet do-
lorem

Feria 3. Dom. 3. Quadrag. 153

lorem usque ad canitiem, & immaturam inducit senectam, juxta illud: Ps. 60. *In veterari inter omnes inimicos meos.* D. Paschasius in illud: *Transseat à me calix iste, ait Christus rogasse, ne per manus Iudeorum fiat.*

MEDITATIO XCIII.

Feria 3. Dom. 3. Quadrag.

Qui reduci à DEO nolunt, permittuntur voluntati suæ.

Aspiciam Christum inter medias mortes quoad se imperterritum, respectu tamen turbæ commotum pietate, nitendo eos reducere, sed dum conatum elidunt, permittit eos voluntati suæ. Petam agnoscere & semper sequi Dominum corripientem.

Conf. 1. Quòd non possit bene esse illi, qui à bono se elongat: qui enim à veritate abit, quantumcunque levi motu deijcitur: debilitat culpa vires animi, & corporis: cœptum peccatum magnà contentione impij prosequuntur: mala autè consuetudo penè incurabilis. A Christo abijisse, & perijsse nec uno passu distant. Christus solus in via est, quæ latronem non habet. O sequar te semper, quoquò eas, quoquò ducaris.

Conf. 3. Quomodo ad reducendum satellites illos 1. terrore sternat dicendo: *Ego sum: quòd ut dixit eis, abierunt retrorsum, &*

¶

¶